

tricis educatricisque diligentis. Absoltuit autem curriculum istud ita, vt id non angustis vnius duorumue annorum cancellis, qui ridiculus est peruersusque multorum mos, sed amplio totius vitae spatio, circumscriberet: non compegit iuuenis, sermones vulgi imperiti captans, vbertatem et copiam vniuersae philosophiae in carcerem et angustias corpusculi levis, tanquam mancipium nequam in vincula ergastuli, sed, libris philosophorum veterum, et Graecorum et Latinorum, diligenter lectitatis, exemplo eorum, singulos disciplinae praestantissimae locos magno studio pertractauit; non contriuit stultus operam otiumque bonum frustra in quaestionibus obscuris, quae nemini prodeffent quidquam, plurimum obeffent cunctis, sed studium et tempus cum diuino Socrate prudens collocauit in rebus iis, quibus vita moresque omnium hominum adiuuarentur emendarenturque; quibus via muniretur ad artem ciuitatis bene regendae, et ad solertiam rei familiaris diligenter administrandae. Neque tamen quare rere omisit, Auditores, de cometarum ingenio mirabili, de cursu et motu, de ortu et obitu, stellarum siderumque: cuius doctrinae liberalis studia, emissis Ptolemaei Pelusii libris, a Schonero, magno astrologo et mathematico, adiutus, vel excitare, vel alere et augere, ita allaborauit, vt, amore artis equitandi ductus, etiam ad curam equorum descenderit. Sed vt expressam absolutamque in mente, non adumbratam inchoatamque, humanitatis et rerum humanarum scientiae imaginem gestaret, non contentus cognouisse praecepta et decreta philosophorum veterum mathematicorumque, adiunxit, Auditores, lectionem assiduam historicorum omnis-

aeta-